

Disciplinae Speculativae generales à se invicem per abstractionem à materia  
 sensibili ita distinguuntur, quae triplicem modum habet abstrahendi à ma-  
 teria Physica et Sensibili, quorum singulas singula etiam convenit Discipline:  
 1. Si abstractio fit solum à materia signata i. singulari, quo modo homo abstra-  
 hitur à materia non, omni, sed singulari solum seu conditionibus individualibus,  
 et talis abstractio est, quae assignatur Physica. 2. Alia abstractio fit à materia et signata  
 et universaliter secundum rationem; Quomodo dicuntur ea abstrahi, quae in materia  
 eadem reperiuntur, sunt, et existunt solum, sed tamen tunc abjunguntur in apprehensione  
 sua ab omni materia sensibili: Sic quantitas quidem per se est in materia sensibili,  
 sed tamen à mathematico apprehenditur sine materia sensibili: et ejusmodi ab-  
 stractio secundum rationem competit Mathematici. 3. Alia denique abstractio est, quae  
 fit à materia secundum rem et rationem, uti solet in ipsis, quae non solum in ap-  
 prehensione intellectus sine materia concipiuntur, sed etiam reperiuntur, et saltem  
 ut sic materiam non habent. Quo modo DEUS et Angeli abstrahunt à materia se-  
 cundum rem et rationem, quia hi nec apprehensione mentis concipiuntur cum materia,  
 nec etiam aliqui vere habent materiam, et hic estis modus, quem Metaphy-  
 sica sibi unice vendicat.

In Metaphysicis alia tractantur per se et immediate et propter disci-  
 plinam ipsam: alia à mediata et per accidens, et propter disciplinas  
 alias, quarum subiecta praecognoscere debet Metaphysica.

Ob K<sup>o</sup> F.

iz JC

Signat!

~~SSI~~



18

DISPUTATIONUM  
METAPHYSICARUM  
DECIMA SEPTIMA,  
*De*  
NATURALI & ARTIFICIALI,  
*Itemq̄*  
MENSURA ET MENSURATO,

*Quam*  
DEO TER OPT. MAX. dirigente,  
*Sub PRÆSIDIO*

M. JOHANNIS SCHARFII,  
Croppenstadiâ Halberstadensis, Facultat.  
Philosoph. Adjuncti,  
*In florentissima*

WITTEBERGENSI ACADEMIA  
Publico examini subjicit

JACOBUS PFLAUMIUS,  
Neoburgensis ad Danubium,  
Palatinus.

*Ad diem 20. Decembr. horis matutinis, in*  
*Auditorio veteri Collegii FRIDERICI.*

---

WITTEBERGÆ,  
Ex Typographéo CHRISTIANI THAM,  
Acad. Typogr.

---

ANNO M DC XXIII.





DISPUTATIONIS METAPHYSICÆ

DECIMÆ SEPTIMÆ

CONTINUATIO.



Ucusq; fuerunt affectiones entis *Mediate* ex uno fluentes; nunc in ordine sequuntur eæ, quæ ex *Veritate entis* dimanant, quales sunt *Naturale & Artificiale: Mensura & Mensuratum*; de priorè certum est, quod *ratione veritatis enti conveniat Naturalitas &* (ut in re notâ novo termino utamur) *Artificialitas*. Etenim juxta veritatem essentialem rei ab alio atq; alio dependentem principio, ens denominatur vel *Naturale* vel *Artificiale*. Postea verò huc volumus referre *Mensuram & Mensuratum*, eò, quod inferant exigentiam, quæ potissimum ex *conformitate rerum ad suas idéas* prolicitur. Quam conformitatem quia *Veritas Transcendentalis* importat, idcirco commodè huc revocantur *mensuræ & mensurati rationes*. Et nunc quidem illud ita placuit, licet non negemus, *posse Mensuram & Mensuratum referri ad accidentalia Entis attributa*, de quibus mox infra dicetur. Sit itaq;

THESIS I.

IN primis observandum est illud *Combachii*, quod *lib. Metaph. cap. 25.* hac de re ita docet. *Rem aliam esse Naturalem, aliam Artificialem non potest aliqua scientia in parte considerare: Etsi enim Aristoteles in Physicis recenseat aliquo modo differentiam inter rem naturalem & artificialem: Metaphysica tamen propriè ipsum fundamentum naturalis & artificialis sibi adscribit. Itaq; dicimus prout res diversimodè obtinet suam veritatem relata ad prototypum suum intellectum, scilicet ad divinum vel humanum, e a ratione dici vel naturalem vel artificialem.*

II. Et hinc accuratè monet Excell. ille Philosophorum

Dn. D. Jac. Mart. in suis prælect. privatis Metaphysicis, quod in Physica *NATURALE* strictius accipiatur, tantum pro eo, quod in se principium motus & quietis habet. Hic verò omne id dicitur Naturale, quod ad rerum universitatem pertinet, sive sit strictè dictum naturale (id est corpus naturale) sive sit spirituale & incorporeum, dictum à natura latè acceptà, quomodo & ipsi Deo tribuitur Natura. Scilicet Naturale hic dicitur omne id, quod cum est, ab arte non est.

III. Quibus positis non immeritò in doctrina affectionum entis ex vero pro manantium agitur de Naturali & artificiali. Indè enim manifestum evadit, quod Naturalitas & Artificialitas ratione veritatis disjunctim afficiant ens & omne ens.

IV. Hic verò ob ambiguitatem naturalis attendes, quod *ly naturale* hic non opponatur *supernaturali*, quando naturale id dicitur, quod à causis naturalibus natura cursum & proprium suum ordinem servantibus provenit: Econtra verò *supernaturale* vocatur, quod à causa prima, nempe à Deo, naturæ leges vel inhibente, vel planè novo, & naturæ minus convenienti modo, disponente originem habet: Urpotè naturale sic est, quo calum perpetuò movetur, sed supernaturale erat, quod in pugna Josue Sol stabat in caelo. Neq; naturale hic obponitur voluntario aut libero; sicuti in Physicis causa naturalis contradistinguitur agenti voluntario. Neq; naturale hic obponitur violento; sicuti naturale id vocatur, quod ab intrinseco principio provenit & natura rei per se producit. Neq; naturale obponitur hic Fortuito: Quando id, quod vel semper vel plerumq; fit, & quidem ex intentione causa efficientis, appellatur naturale. Sed unicè hoc loco naturale obponitur artificiali, tanquam opus naturæ operi artis.

V. Itaq; nunc ita dicimus. *Naturale est, cujus veritas pendet ab intellectu divino.* Ex prælect. Metaph. publ. Excell. Dn. D. Jac. Mart. itemq; ex Combach. lib. Metaph. cap. 25. Intel-

Intelliges *veritatem essentialem seu entitativam*, ejus mensura & norma, ut & origo seu principium primum, est intellectus divinus in rebus naturalibus omnibus.

VI. Ut enim *omne ens à Deo dependet* in esse & fieri, sic etiam *in vero esse*; ita ut illud esse verum, quod habet, unice Deo acceptum referre debeat. Licet enim hodiè non raro per causas *secundas naturales* quædam entia producantur, uti fit in generationibus Physicis, illæ tamen causæ producentes 1. *non excludunt cooperationem & comproductionem*, (ut ita loquar) *ipsius Dei*, sed maximè in virtute causæ istius primæ agunt. 2. *juxta seminalem virtutem à Deo ipsis impressam* producunt id omne, quod producunt. 3. *nihil de novo quod essentiam specificam progignunt*, sed saltem illud esse, quod Deus per creationem primò posuit, continuant per generationem singularium. Et ita *Deus tanquam causa suprema ubiq; in generationibus creaturarum quàm maximè operatur*, adeò, ut verissimum sit illud Augustini. *Parentibus generantibus Deus creat.*

VII. Undè est, quod adhuc hodiè *res naturales primè & principaliter denominentur vera per comparisonem ad intellectum divinum* nempe à quo procedunt, & cujus ideis adsimilantur & conformantur, sicq; in esse constituuntur & mensurantur. Confer ea, quæ supra *disputat. 7. hac de re disputata sunt.*

VIII. *Artificiale verò est, cujus veritas ab intellectu humano dependet*: scilicet immediatè & tanquam à proximo principio. Res enim *artificiales* primò dicuntur veræ, in quantum formæ seu ideæ existenti in mente artificis adsimilantur. Quando quidem notum est, quomodo *effectus artefactus tum demum proclametur verus, quando ad effigiem ideæ in mente artificis est elaboratus*: ut supra disp. 7. ostendimus. Debent nihilominus & hæ res ad Deum referri. Cum enim *artes & illarum effecta sint bona, à Deo sint necessum est.* Quia

verò hic quædam intercedit dispositio, quæ pendet ab ingenio & viribus humanis ut talibus, proximè ad hominem & ejus ideam non immeritò referuntur.

IX. Cæterum ut *naturale derivatur à Natura*: sic *Artificiale ab Arte*. Itaq; à conditione naturæ & artis, earumq; ex sola natione quàm maximè dependet conditio Artificialis & Naturalis. Proindè *de Naturâ & Arte* hic operosius disquirere non esset inconveniens: sed quia brevitate nunc studere cogimur, & alibi res est satis plana, pleneq; propofita, non licet nunc quidem hoc in loco de illis terminis prolixè agere. Videatur *Piccol. grad 5. phil. Moral quest. 50. & seq. Dn. Jac. Mart. part. Metaph. sect. 2. Perer. lib. 7. Phys.*

X. Breviter ita habe. *Natura*, ut ex secunda disputatione hujus Collegii constat, *est ipsa essentia rei, quatenus illa in ordine ad operationes sumitur*: Quomodo natura nihil aliud est, quàm *principium primum operationum propriarum*. Aliàs verò *vox natura* est ambigua. Nunc enim *obponitur Deo*, & natura dicitur res creata vel dispositio rerum creatarum: Nunc *Natura obponitur voluntati*, & est tale ens seu corpus, quod determinatè agit & ad unum est determinatum: Nunc *natura obponitur violentiæ*, quo sensu *Natura* est propensio intrinseca ad aliquod: Nunc *natura obponitur fortune & casui*, & appellatur id, quod per se fit aut agit: Nunc deniq; *obponitur arti* & est principium internum operationis, vel ut *Physici loquuntur*, motus & quietis.

XI. Communiter *Natura* distinguitur *in naturantem & naturatam*. Illa est *ipse Deus, qui omnia naturavit*, hoc est, in proprio naturæ ordine posuit. Commodè autem *Deus* dici potest *natura* respectu actionum, quas providentiâ suâ exercet in toto hoc universo. *Hæc*, scilicet *natura naturata* dicitur omne creatum, quatenus in se certas operationes producit.

XII. Et est hæc natura vel *universalis* vel *particularis*.

Illæ



Illā est connexio omnium causarum secundarum, vel dispositio & ordo omnium partium totius mundi, quatenus exinde operationes certæ & determinatæ proveniunt. Aliās *factum*, intellige *Physicum*, appellatur. *Particularis natura* est in singulis speciebus vel in quolibet Ente quatenus id suas certas operationes exerit vel exerere potest. Sic dicitur natura hominis, natura arboris, &c.

XIII. Quomodo etiam natura nonnunquam accipiatur pro rei cuiusq; quidditate tota: item pro ultima ac propria rei differentia, item pro temperamento animalis, &c. videbis apud Physicos. *Combach. lib. 1. Phys. cap. 3. quest.* prolixè differit de significationibus naturæ. *Armand. de bello visu Explic. Term. tract. 2. cap. 34. Castaneus in Synopsi distinct.*

XIV. Cæterum à natura derivantur termini, 1. à natura esse vel fieri, 2. secundum naturam esse, 3. Præter naturam esse, 4. Contra naturam esse, 5. Supra naturam esse. Quæ formulæ loquendi ob magnum, quem habent usum, hic breviter explicandæ sunt atq; observandæ.

XV. A natura aliquid esse dicitur quatuor modis. Nam primò à natura esse appellamus, quæ statim à nativitate insunt, adeoq; connata sunt. Sic mortalitas homini inest à natura. Deinde remotius à natura esse dicitur, quod successu temporis demum in capacibus subjectis sua sponte sequitur. Sic canities à natura est, & barba in viris. Tertio quorum potentia tantum inest, etiam non rarò dicuntur esse à natura. Sic virtutes Ethicæ dicuntur esse à natura: Ubi interim Theologicæ à S. S. gratiâ dicuntur infundi. Sic & Philosophia est à natura. Ultimò à natura esse dici solent, ad quæ *Φύσις* magis sumus proclives, vel quæ magis intendit natura. Sic Poëta nasci dicuntur non fieri. Sic sanitas à natura nobis inest.

XVI. *Secundum naturam esse vel fieri* dicitur, quod ex naturæ inclinatione & à principio naturali provenit, adeoq;

naturæ

naturam ipsam conservat. Sic motus sursum fit secundum naturam in levioribus corporibus, utpote in igne.

XVII. *Præter naturam* fiunt ea, quæ quidem non oriuntur ex particularis naturæ ductu, tamen ipsi non repugnant, nec vim inferunt. Sic ignis circulariter movetur sub concavo lune, ut hac de re disputant Physici.

XVIII. *Contra naturam* sunt, quæ naturæ ordinem & propensionem naturalem tollunt & destruunt, adeoq; repugnante natura fiunt. Sic moveri sursum est contra naturam lapidis.

XIX. *Supra naturam* ea sunt & fiunt, quæ à Deo extraordinariè & miraculoso modo efficiuntur. Sic virginem parere est supra naturam. Itaq; adumbratione S. Sancti & virtute altissimi concepit virgo Maria, & peperit filium. Luc. 1. v. 35. Plura vide in partit. Metaphys. Dn. D. Jac. Mart. lib. 1. sect. 2.

XX. Deniq; notetur *discrimen rerum Naturalium & Artificialium*. Rectè monet Combachius d. l. ex Pererio lib. 7. Phys. cap. 2. *Multis modis inter se differre res naturales & artificiales*. Et quidem 1. *ratione denominationis*: quia rei artificialis denominatio extrinseca est, naturalis verò intrinseca. 2. quia *artificialis cum agente convenit, non secundum esse, sed secundum ideam*: Naturalis verò & secundum esse & secundum formam. 3. quia *omnes partes rei naturalis à natura sunt*: Artificialis principia subponit in natura, introducit tantum formam. 4. *Artificialis est in subjecto completo*; naturalis in subjecto incompleto. 5. *Artificialis res est determinata secundum formam & speciem, contingens secundum productionem*: Res naturalis utroq; modo determinata. 6. *Forme artificiales extrinsecè sunt*: Naturalis est intrinseca. 7. *Materia prima habet potestatem & inclinationem ad formas naturales, non verò ad formas artificiales*. 8. *Res naturales in se habent principium internum motus & quietis*: *Artificiales ex se motum non habent, nisi eum, quem à naturaribus*

ralibus capiunt. Confer Physicos prolixè disputantes de  
Natura.

XXI. Hæc de naturali & Artificiali; sequitur doctrina  
de Mensura & Mensurato. Ubi primo disquirendum venit,  
num Metaphysici sit agere de Mensurâ & Mensurato. Sunt  
enim permulti Metaphysici, potissimum vetustiores, qui  
hanc materiam in Metaphysicis ex professo non tractarunt.  
Solum incidenter declarare solent rationem mensuræ, cum agi-  
tur de essentia quantitatis & de speciebus durationum, quibus  
locis Suarez de ea agit disputat. 40. sect. 2. item disput. 50. hinc  
inde: imprimis autem sect. 2. num. 7. & sect. 10. num. 1. &c. Alii  
attingunt eam agentes de Unitate; quomodo & Arist. Me-  
taph. 10. cap. 1. incidit in mensuræ considerationem. Alii in  
physicis sub explicatione Temporis agunt de mensura, ut Gilb.  
Jacch. instit. phys. lib. 4. cap. 2. nihilominus adseverandum  
putamus cum Dn. Scheiblero lib. 1. Metaph. cap. 25. quod de ra-  
tione mensuræ & mensurati non possit tractari in particulari-  
bus scientiis eò, quod illas omnes transcendant hi termini, ad-  
eòq; reperiuntur in entibus sumtis supra subjecta specialium ista-  
rum scientiarum. Relinquitur ergo quod de istis terminis (men-  
sura, & mensurato) agendum sit in Metaphysicis: cum ibi aliàs  
universales & communissimi termini explicentur. Et qui-  
dem ad hanc generalem Metaphysicæ partem pertinent,  
cum exhauriant totam entis latitudinem non contrahendo il-  
lud, sed afficiendo & denominando.

XXII. Vox mensuræ est ambigua. Primò quidem im-  
posita est ad significandam mensuram quantitatis specialiter  
dictæ: hinc verò postea translata est ad notandam quamvis  
mensuram cujusve quantitatis, etiam intensivæ & perfectionis.  
Unde est mensura molis & perfectionis, uti mox dicetur.

XXIII. Aliàs etiam monent, quod mensura sumatur  
vel activè vel passivè. Activè sumitur pro eo, quod mensurat,  
adeo q; ab ipsa denominatur mensurans. Passivè autem sum-

B

ta men-

ta mensura consistit in hoc, ut mensuretur, sicq; ab ipso deno-  
minatur mensurabile vel mensuratum. Hoc passivo sensu so-  
let Tempus vocari numerus vel mensura motus, hoc est, res  
mensurabilis vel numerata motu.

XXIV. Præterea tenendum, quod vox mensura aliquan-  
do sumatur *negative*, veluti cum Deus dicitur mensura sui  
ipsius. Quod non est intelligendum quasi Deus positive se-  
ipsum mensuraverit, sed negative, quod scilicet non sit aliud,  
quo Deus mensuretur.

XXV. Sed ita nunc vox mensuræ non accipitur, neq;  
etiam passivè, sed *positivam mensuram hic intelligimus, eamq;  
activam, qua ens denominatur mensurans*, adeoq; mensura  
opponitur mensurato.

XXVI. Porro quod quiditatem mensuræ attinet, vari-  
ant in illa explicanda autores. Communis definitio est.  
*Μέτρον δὲ τῶν ὁμοίων γινώσκεται*. Mensura est, quæ quantum vel  
quantitas mensurati cognoscitur: ex Aristot. 10. Metaphys.  
cap. 1. De qua descriptione tenendum, quod vel *de potissi-  
mo mensuræ analogato* loquatur, vel inibi *quantitas late  
sumatur & indifferenter prout determinari potest ad quan-  
tatem molis seu extensivam & ad quantitatem intensivam,  
seu perfectionis*, ita ut completus ejus sensus hic sit. Mensura  
est id quo quantitas rei cognoscitur, hoc est, quo cognoscitur,  
quanta sit rei longitudo vel latitudo, &c. Itemq; quo cogno-  
scitur quanta sit rei perfectio.

XXVII. Dicitur autem, quod per mensuram quanti-  
tas rei cognoscatur. Quo ipso infertur respectus mensuræ  
ad potentiam cognoscitivam. Etenim Mensura habet du-  
plicem respectum. 1. ad Mensuratum, cujus quantitas per  
ipsam exploratur. 2. ad cognoscentem potentiam, cui men-  
sura manifestat & mensurat quantitatem mensuratur. E. g.  
Ulna est mensura, qua mensuramus pannum. Hinc ulna  
dicit habitudinem & ἕξιόν ad pannum ipsum, & deinde  
etiam

etiam ad intellectum, cui notificatur longitudo panni per  
ulnam.

XXVIII. Alii rationem mensuræ ita determinant. *Mensura nihil aliud est, quam norma ad quam rerum finitarum perfectio exigitur.* Dicunt rerum finitarum eò, quia divina perfectio ad nihil, nisi ad ipsam divinam essentiam examinari potest.

XXIX. Nos ita ponimus. *Mensura est norma, qua conditio aut habitudo alterius exigitur.* Prout enim ens aliquod manifestat alterius vel perfectionem, vel quantitatem, vel quiditatem, ita quidem, ut ad illud exigatur vel per illud exploretur habitudo ejus, inde solet appellari *Mensura*.

XXX. Hinc dispesci solet in *Mensuram* quantitatis, perfectionis & cognitionis. *Quantitativa Mensura est,* quæ quantitatem propriè dictam, nempe molem & extensionem alterius, mensurat atq; notificat. Et hæc est vel *Adæquata* vel *Inadæquata*. Illa est, quando mensura & mensuratum exactè conveniunt in quantitate, ita ut mensuratum non excedat quantitatem mensuræ. Dico ubi *mensuratum* non excedit. Ita enim fit adæquata mensura. Quod si *mensura* excedat quantitatem mensurati, erit quidem inadæquatio, sed inde non fit mensura inadæquata, quia de ratione mensuræ quantitativa est, esse minimum in quovis genere, hoc est non esse majus mensurato. Unde sic *ulna* non dicitur mensura quadrantis panni, sed *quadrans ulnae* metitur quadrantem panni. Quomodo adæquata fit mensura: cum quantitas in quadrante panni est æqualis quadranti ulnæ. Sic sex unitates sunt mensura adæquata senarii, &c. Aliàs dicitur mensura adæquationis.

XXXI. *Mensura inadæquata est,* quæ exceditur à quantitate

titate mensurati. Et hæc *mensurat per repetitionem*. Quia enim mensura exactè notificare debet mensurati quantitatem, hinc si mensuratum longius est mensurâ, oportet ad cognoscendam mensurati quantitatem iterari & repeti per applicationem mensuræ. Unde & appellari solet *mensura repetitionis*. Sic *Unitas est mensura senarii per repetitionem*. Oportet enim unitatem repeti & sexies iterari ad mensurandum senarium. Sic *stadium est mensura inadæquata milliariis*; hoc per aliquotam stadii repetitionem mensuratur.

7. XXXII. *Mensura Perfectionis est regula & norma, juxta quam de perfectione alterius judicamus. Sic Deus est mensura omnium, à quo omnes creaturæ habent esse, vivere, subsistere, & agere, ideoq; etiam ad ejus nutum omnia se componere debent.*

XXXIII. *Mensuratio autem illa perfectionis fit, quando ab intellectu ens aliquod ut mensura adsumitur, & per approximationem ad illud vel recessum ab illo judicat de majore vel minore perfectione. Sic homo est regula & mensura viventium apud Scalig. Exerc. 102. sect. 3. Hinc perfectio viventium cognoscitur ita, ut ea, quæ plus participant de hominis perfectione dicantur perfectiora; quæ verò minus, imperfectiora. Sic bruta sunt perfectiora arboribus: quia illa propius accedunt ad hominis perfectiones.*

7. XXXIV. *Mensura cognitionis sunt res ipsæ, quas homo debet cognoscere. Etenim cognitio nostra dependet à rebus, non verò res à cognitione.*

XXXV. Alii insuper Mensuram distinguunt in *Extrinsicam & Intrinsecam* ut Soncinas 10. Metaphys. cap. 2. Itemq; Ægidius, uti refert Suarez disput. 50. Metaph. sect. 6. n. 2. Vetus accurate loquendo *non datur Intrinseca mensura, cum hæc semper aliud mensurare debeat. Omnis ergo proprie dicta mensura est extrinseca, ad quam comparando aliud, ejus, tanquam mensuratum, exploratur conditio, sive dimensio, sive*

*sive virtus.* Qua de re vide plura apud Scheibl. lib. i. Metaphys. cap. 25.

*USUS HUIUS DISPUTATIONIS.*

Sæpè disputari solet *de Natura & artis conditione*, itemq; de naturali & artificiali: De eo, quod est *supra naturam*, & quod est *contra & præter naturam*: ubi sanè explicatio horum terminorum necessariam habebit utilitatem. *Distinctio Naturalis* prout opponitur vel voluntario, vel supernaturali, vel violento, vel fortuito, vel artificiali ubiq; commodabit in contemplationibus physicis. Similiter *termini à natura* derivati benè sunt observandi: quales sunt *à natura esse vel fieri: secundum naturam esse vel fieri: Præter naturam esse vel fieri: contra naturam esse vel fieri: & deniq; supra naturam esse vel fieri.* Horum namq; notitia distincta insigniter prodest in disputationibus de duplici, eaq; opposita, quam fingunt, veritate: ubi maleferiati quidam *clamant Philosophiam contrariari Theologia*, ita ut in natura aliquid sit verum, quod sit contra scripturam. Verum isti homunciones deberent addiscere, quod aliud sit esse supra naturam: & aliud contra naturam.

*Multa habentur in Theologiâ, quæ superant & excedunt naturæ conditionem*: ipsi tamen non repugnant, nec contrariantur. *Virginem parere est supra naturam, non verò contra naturam, &c.* Confer Exerc. Metaph. Dn. D. Jac. Mart. lib. i. Exerc. 5. theor. 6. In loco de persona Christi distinguere debemus *inter naturas Christi*, humanam & divinam, item *inter Codicum & naturam*, uti hac de re disputant Theologi. Quæ etiam lucem ex præsentis disputatione accipient.

*Doctrina de Mensura & Mensurato* præter alios usus in Philosophicis insigniter commodabit circa disputationes *de Norma fidei*: imprimis ubi conditiones & proprietates Mensuræ (quæ in Axiomatibus attinguntur) observantur. *Abusus* etiam hic non rarò deprehenditur. *Mensurabile omne*

*fnitum dicitur: ut mox constabit. Unde apud August. Epist. 49. quest. 3. referente Scheiblero objicit quidam Ethnicus Philosophus aeternum supplicium non rectè dici commensurable peccatis, quod Matth. 7. dicitur, quàm mensurâ mensi fueritis eadem remensurabitur vobis: quibus verbis damnatio, quæ est æterna, dicitur mensurari à peccatis. Sed ille discere debuisset, quod illa verba Christi sint allegorica & parabolica. Jam in parabolis non exiguntur omnia ad proprietates rerum.*

Propriè autem id significat Christus, quod qui peccant congruam suis peccatis pœnam ferre debeant. Augustinus respondet ibid. quod etiam sempiternum aliquid esse potuerit, & tamen habere certam sui medi mensuram: qua de re nunc in Axiomatibus erit monendum.

#### A X I O M A T A.

1. *Tria sunt agentia Deus, natura & Ars. Deus est creator omnium: Natura verò est Dei opificium virtutibus variis agendi instructum: Ars verò est naturæ inventum ingeniosum.*

2. *Natura prius intendit perfectum, quàm imperfectum.* Licet enim in generationibus semper procedat ab imperfectioribus ad perfectiora: tamen ratione intentionis & finis spectat perfectissimum.

3. *Ars natura respondet.* Hoc enim est, quod vulgò dici solet. *Ars imitatur naturam.* Huc pertinet etiam illud; *quæ est ratio artis, illa etiam est natura.*

4. *Ars nulla caret sine aliquo.* Aristoteles 1. Eth. cap. 1. scilicet ob bonum aliquod expetitur. Et omnis ars inventa est ad supplendam naturæ defectum.

5. *Omnis Ars benè agit.* Scal. exerc. 326. Quia omnis ars agit alicujus finis ergò, & adjuvare debet naturam.

6. *Vitia*



6. *Vitia artificum non sunt adscribenda ipsi arti.* Scal. lib. 1. poët. cap. 1. sed externis obstaculis si vitia obtingant vel defectui artificis relinquuntur.

7. *Omnis mensura notior est mensurato.* Quia adæquatè requiritur, ut notificet mensuratum. At notificare non potest aliud, nisi sit notior.

8. *Primum in unoquoque genere est mensura reliquorum.* Aristoteles 10. Metaph. cap. 2. Intelliges vero *ratione dignitatis & nobilitatis* ut idem sit, quod perfectissimum. Et hoc primum est *mensura*, nempe perfectionis aliorum, quæ cum ipso sunt ejusdem generis: Sic ut *quo magis aliquid accedat ad hujus primi perfectiones, eò censeatur perfectius: Quo autem magis recedat, eò imperfectius aestimur.* Sic homo vocatur regula sine mensura viventium, ut supra thesi 33. innuimus.

9. *Mensura est quid unum & indivisibile.* Aristot. 10. Metaph. cap. 2. sensus hic est. Mensura debet esse aliquid fixum & certum, hoc est, *ut de illo nihil dematur, vel ad illud addatur, in quantum certa est mensura.* Sic ulna, licet alio modo sit divisibile, ita tamen est *indivisibilis ratione mensura*, ut quam primum aliquid ipsi addatur vel auferatur, amplius non sit vera ulna, sed adulterina.

10. *Mensura est quodlibet minimum.* Scilicet mensura molis seu quantitatis. Etenim minimo difficilius potest aliquid addi vel detrahi. Et sic optimè congruit minimo esse mensuram.

11. *Mensura est Homogenea mensurato.* Aristoteles 10. Metaph. cap. 1. Intelliges verò hoc non simpliciter de genere propriè dicto, sed *de tali convenientia, quæ sufficiat ad debitam proportionem, qualis inter mensuram & mensuratum est necessaria:* Ubi nonnunquam sufficit convenientia analogæ.

Quæ

## QUESTIONES.

### I.

#### *An Ars prestet naturæ?*

Prolixè de hoc *æquuali* disquirat *Piccol. grad. 5. phil. Moral. cap 58. & seqq.* Breviter nos dicimus: *Ars & Natura* duplici modo possunt considerari vel *disjunctim* vel *conjunctim*. Illo modo *Natura* est potior. *Natura enim opus suum producere potest sine beneficio & concursu artis.* *Ars* verò sine naturâ nihil planè potest præstare, nihil efficere. Ita *arti præfertur natura, tanquam substantia accidenti, tanquam causa prima secunda, res seria ejus umbra, artifex suo instrumento, res, quæ semper est eadem, rei mutabili.* Ita rectè dixit *Galenus: Arte qualibet potentiolem esse vim naturæ.* Verum si *conjunctim* considerentur, prout *Ars* conjungitur cum *Quod*, & perficit, quod *natura* affectat, *jam artis opus, perfectius est opere naturæ.* Hoc enim inchoatum ita perficitur ab arte, ut ab ea consumationem aliquam obtineat. Et hoc posteriori modo verè dixit *Cic. 4. de Finibus. Etsi ingeniiis magnis freti quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur, ars tamen est dux certior, quam natura.* Aliud enim est *Poëtarum* more verba fundere: aliud vero ea, quæ dicas, ratione & arte distinguere. Eleganter hac de re *Piccol. d. l.* docet his verbis. *Ars* dupliciter considerari potest. 1. *secundum vires proprias & tanquam contradistincta à natura:* ac ita obscura & imbecilla penitus est. 2. *ut naturam includens, eiq; aliquid superaddens & quoniam id, quod addit perfectionem adhibet, jure hoc modo ars præferenda est naturæ.* Hæ namq; duæ causæ se invicem amplectuntur, mutuoq; perficiunt, ita tamen ut *ars includat naturam, at non contra. Natura itaq; suis viribus propria conditione præstat: At verò ars non suis tantum, sed cum alienis juncta.* Quocirca *Natura* absolutè præstat: sed *Ars* conditionatè, si *natura* bonitati jungatur, præstet nudæ & non excultæ naturæ.

II. Quo-

## II.

*Quomodo Ars imitetur naturam.*

Combach. ex Lamberto de monte Dom. 2. Phys. t. 26. tria ponit effectorum genera. *Quaedam enim sunt a sola natura*, ut productio animalium, & ad hæc nil confert Ars. *Quaedam ab arte solâ*, ut pictura, automata, &c. & ad hæc non conducit Natura: scilicet *proximè*; non enim est aptitudo immaterialis, quâ ad formam effectivè moveatur nisi inducatur. Ut ligna, lapides, nisi præparentur, domum non conficiunt, *remotè* verò etiam natura concurret hîc, quia *nulla est ars, que non prærequirat aliquod fundamentum nature*. Ita domus licet ab artifice fiat: tamen à natura petie ligna, &c. Et in his naturam imitatur Ars dupliciter, 1. *ratione modi procedendi*. Ut enim natura procedit ab imperfectis ad perfectiora: sic etiam Ars. 2. *ratione principii*; quia utriusq; opus ab intellectu procedit. *Opus quidem nature ab intelligentiâ non errante, opus verò artis ab artificis intellectu*; ita ut totius operis processus ab intellectu dirigatur: *Quaedam verò sunt ab Arte & natura simul*, quando pro forma in potentiâ materiæ ita est posita, ut naturaliter ad effectum inclinet, quæ tamen potentia ab arte juvatur, ut facilius in actum deducatur. Sic sanitas ab utraq; produci- tur. *Medicus enim supponit naturam ceu aptam recipere sanum, eamq; juvat medicamentis*. In hoc ars imitatur naturam dupliciter, 1. *quoad agendi virtutem*, quia tota ab ea, ut agente principali, dependet; nisi enim subsit natura, non potest agere artifex. Sic artes non possunt introduci nisi in capax subjectum: 2. *quoad agendi modum*, quia utriusq; idem est processus. Ut enim natura tolendo supervacanea, & substituendo deficientia efficit: sic etiam ars. Imò etiam *ratione exemplaris ars imitatur naturam*, quasi ab animalibus & naturali agentibus ea animadvertit perfici posse, quibus ipse simile quid præstet. Uti textores ab araneis didicerunt similes texturas exhibendo. Comb. Phys. l. 1. c. 3. p. 70.

C

III. Qua

III.

*Quæ & quanta sit natura necessitas?*

Naturæ vox sæpius pro natura naturatâ sumitur, eaq; Deo subordinatur. Habet illa in essendo, in afficiendo & in operando aliquam necessitatem, de qua non immeritò nunc disquirimus qualis & quanta sit. Primò quidem non potest esse obscurum illius necessitatem non esse summè absolutam & independentem, sed dependentem & determinatam, cum finiti entis. Deindè verò, quia oritur ex nexu causarum immutabili, dicendum erit, quod pro varietate causarum variet, ita ut jam oriatur ex ratione efficientis, jam ex ratione formæ, jam ex ratione materiæ, jam deniq; ex conditione finis, uti hoc ipsum fufius constat ex Arist. l. 2. Phys. c. 9. Confer. Riv. ad illum locum Arist. Itemq; Tole- tum, Conimb. &c. Et sanè maxima ut quidem est hæc natu- ræ necessitas, eaq; tanta, quæ à nulla vi naturali auferri aut planè immutari possit (licet per extrinseca obstacula impe- diri queant quandoq; operationes naturales:) Interim tanta nequaquam est, quin à Deo, qui illam posuit, iterum om- nia ista liberè possint immutari. Nam ut verè pièq; ce- cinit Philippus:

*Non DEUS est numen Parcarum carcere clausum,*

*Quale putabatur stoicus esse DEUS:*

*Ille potest Solis currus inhibere volantes,*

*Ille velut scopulos flumina stare jubet.*

Et rectè: omnia enim naturalia illa agentia dependent, & vim suam agendi unicè habent & obtinent à Deo. *Deus portat omnia verbo potentie sue Heb. 1. v. 3. Per Deum omnia consistunt Colof. 1. v. 17. In Deo vivimus, movemur & sumus, Act. 17. v. 28.* Quomodo igitur negari poterit, quod vi omnipo- tentis Dei necessitas Physica queat auferri, & immutari? An non ignis naturali necessitate comburit ustilia? Et tamen non comburebat pueros in fornace Babylonica. *Daniel. 3. v. 49.* An non ferrum naturali vi semper deorsum fertur, & subinergi-  
tur

tur in profunditatem aquarum? Et tamen *supernat abat in superficie aqua*, 2. Reg. 6. v. 6. Sic natura necessarid mixtionem feminis virilis requirit ad productionem hominis, & tamen *virgo Maria peperit infantem sine omni virili femine*. Sic ergo Deus sapientissimè scit & potest quandoq; naturæ ordinem moderari. Concludimus ergo, quod *natura necessitas sit quidem maxima, sed tamen talis, quæ dependeat à Deo, & proindè à Deo liberè pro sua infinita sapientia, & potentia mutari possit.*

IV.

*An omnis effectus realis & positivus reducendus sit ad aliquam causam primam, quæ sit independens?*

Observes, quod quærat *de effectu*, non verò de *defectu*. Hic enim tanquam *non-Ens oriri potest à quavis causâ proximâ*, quæ in agendo deficiat. Sed *effectus* (realis & positivus) *ut semper habet causam veram per se* (non tantum per accidens) *ita etiam habet primam*. Si namq; quid causam per se non habeat, ne quidem effectus erit, scilicet *causa per accidens, nominetenus saltem est causa*. Nam causa est principium per se influens in esse effecti. Atq; adeò, quod nullam habet causam per se, id quoq; nullam habet per accidens, ut docet *Arist. 2. Phys.* At verò *in causis per se non datur progressus in infinitum*. Ergo *pervenendum est ad primam & independentem.*

E I N I S.





AB: 67  $\frac{5}{c, 10}$

ULB Halle


003 357 104

3









B.I.G.

Farbkarte #13

Inches

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

IONUM

ICARUM

PTIMA,

RTIFICIALI,

ENSURATO,

x. dirigente

IDIO

SCHARFII,

densis, Facultat.

uncti,

na

ACADEMIA

bjicit

LAUMIUS,

Danubium

matutinis, in

IDERICI.

GA,

IANI THAM,

XVIII.

18

